



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universo Clero in regno  
Franciae constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

vestiarum testimonio litterarum nostro se conspectui præsentarint. Episcopos autem prædictos, si juxta quod superius est expressum, Ecclesias illas inveneritis temere consecrasse, appellatione cestante à pontificali officio suspendatis. Sic autem in præmissis articulis juxta rescripti nostri continentiam, non obstante rescripto aliquo veritate tacita per subrepitionem lite pendente à sede apostolica impetrato, fideliter ac prudenter appellatione postposita procedatis, nec processum causæ impeditat si super hoc se dixerint certum nuntium ad nostram præsentiam transmisso, quod protractas diutiis controversias per vestram gaudemus solitudinem terminatas. Testes &c. cogantur. Quod si omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero. Datum Laterani II. Idus Octobris.

*ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,  
Abbatibus, Prioribus, & universo Cleo  
in regno Francie constitutis.*

Epiſt. 197.  
Vt Regem  
ſuum horten-  
tur ut aposto-  
licis mandatis  
obiemperet, &  
repudiat pelle-  
lice, legitimam  
uxorem reci-  
piat.

**A**nxiatur in nobis ex amaritudine spiritus, & cor nostrum præ dolore turbatur, dum in causa matrimonij carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris declinare ad sinistram vel dexteram pertimescimus, ne videamus plus homini deferre quam Deo; & rursus regia via in Regem ipsum procedere molestamur, cum in eo, propter prærogativam dilectionis & gratiae, nos ipsos reputemus offendi. Monet enim & movet nos vehementius contra eum & debitum pastoralis officij, & fortius Finehes zelantis legem Domini notum vobis exemplum inducit: sed angit nos plurimum & retrahit aliquantum gratia specialis quam ad eundem Regem habemus, & quam non solum circa ipsum, sed circa totum regnum Francorum opportunitate concessa proposuimus exhibere. Reduentes enim ad mentem & infra nos ipsos ſepiuſ recoleentes beneficia nobis olim in ipso regno scholasticis iſſentibus disciplinis impensa, & à Deo donum scientiae quantæcumque collatum, præter debitum officij pastoralis, quo sumus singulis debitores, nos tam Regi quam regno specialiter teneri fatemur, & non solum à Regis gravaminibus, quantum licet, manum retrahimus, sed ad honorem ipsius & regni ejus augmentum ardentius aspiramus. Ceterum attendentes

quod nos Dominus, licet immēritos, in fede justitiae collocaverit, & Vicarios sui & Apostolorum Principis constituerit succēſſores, ne videamur acceptorum beneficiorum ingrati, si ei qui nos de pulvere ſuscitatos inter Principes immo ſupra Principes ſedere voluit & de Principiis judicare, hominem præferamus, ne fine cauſa etiam accepimus dicamur ligandi & ſolvendi per beati Petri merita potestatem, diſſimulare non poſſimus quin exhibeamus justitiam poſtulantibus, & errantes ad rectitudinis trāmitē revocemus, ferrum etiam apponentes vulneribus quæ fomentorum non ſentiant medicinam. Considerantes præterea quod ſalus animæ præferenda ſit corporis voluptati, & utilitati quam voluntati potius deferendum, cum multa beneficia præſtentur invitis, ne vel odifice filium, si virgæ parcamus, vel agro videamur cauſam interitus præſtitifſi, ſi vulneribus fotis oleo vinum ſuperinfundere differamus, ſaluti Regis ipsius conſulere diſpoſuimus & honori, credentes quod quantumcumque contra nos, immo licet iuſtè forſitan moveatur, ad mentem tamen reverſus, cum remedium ſenſerit medicina, tanto nobis reddetur & apostolica ſedi devotior, quanto in corrigoendo excessu, per quem Deum ſibi reddit offendit, per quem ad excuſandas excuſationes in peccatis & in contemnendis Ecclesiæ ſacramentis factus est aliis prævaricationis exemplum, per quem etiam fama ejus est apud bonos, ne dicamus penitus, plurimum offuscata, majorem in nos ex caritate fuerit ſeveritatem expertus. Ecce enim Dux Bohemiæ, ſicut accepimus, ipsius ſecutus exemplum, uxore relicta legitima, ſimili modo adulteram ſuperinducere non expavit. Sed & alij Principes & privatæ personæ Iudaizare, dando libellum repudiij ſuis uxoribus, ſunt parati, niſi principiis citius occurratur. Licet enim bona memoria Celeſtinus Papa prædeceſſor noster ſententiam illam diuertij, quin potius illius ludibrii fabulam, de fratrum conſilio duxerit penitus irritandam, diligenter eum admonens & frequenter ut prædictam Reginam recipere in gratiam conjugalem, ipſe tam enī pravo uſu conſilio, poſt inhibitio-nes multiplies, in gravem contemptum Ecclesiæ aliam ſuperinducere non expavit. Nos autem volentes olim Regem ipſum

Vide ſupr.  
Epiſt. 188.

## Romani Pontificis Lib. II.

465

ipsum tractare in spiritu lenitatis, & cum ad tramitem rectitudinis salubribus monitis revocare, ipsum circa nostrā promotionis initia per venerabilem fratrem nostrum Parisensem Episcopum fecimus commoneri, & postmodum per litteras nostras diligenter induximus, ut superinducta de finibus regni Francorum amota, Reginam reciperet memoratam, quam à se duxerat irrationabiliter amovendam; juris ei licentiam non negantes, quō minus, facta prius restituōne, audiremus & exaudiremus si quid duceret rationabiliter proponendum. Cū enim non potius eligat quod justum est & honestum, & declineret quod iniquum est & damnosum; ut si fortè de super datum non fuerit quōd prædictam Reginam retinere velit in gratia conjugali, remota ea quam contra interdictum Ecclesiae superduxit, & recepta illa quam à se contra juris ordinem separavit, extunc, si de justitia & veritate confidit, & ista judicio dimittatur, si fuerit dimittenda, & illa, si reducenda fuerit, reducatur; ne, si secus agi contigerit, & anima periculum prædictus Rex incurrit per adulterium quod committit, & in genere suo scandalum ponat, cū proles, si qua fuerit hoc modo suscepta, non debeat censeri legitima, sed spuria potius judicari. Licet autem nondum super hoc monitis nostris paruerit & mandatis, ne tamen salutem ipsius negligere videamus, si quod incepimus, relinquerimus imperfectum, adhuc eum per dilectum filium nostrum P. sancta Mariae in via lata Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, ad hoc ipsum mandavimus commoneri; dantes eidem Legato firmiter in mandatis ut nisi Rex ipse monitis nostris & ejus aurem curaverit facilem adhibere, & ipse adhuc ei forsitan voluerit super interdicto generali deferre, tam Regi quām superinducta ac eorum familiis, præter penitentias morientium, omni prorsus appellatione remota, interdicat omnia divina officia & ecclesiastica sacramenta, & ubicunque præsentes fuerint, eis præsentibus, præter baptismā parvolorum & penitentias morientium, tam sacramenta divina quām ecclesiastica prohibeat officia celebrari. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate quoque bea-

torum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, in virtute obedientiæ distictè præcipimus quatenus sententiam quam idem Cardinalis in Regem, superinductam, & eorum familias, vel in regnum etiam duxerit proferendam, & vos sublato cujuslibet appellationis obstaculo firmiter observetis, & faciat ab aliis in violabiliter observari. Si quis enim, cūuscunq; dignitatis vel ordinis, eis post interdictum nostrum vel officia celebrare divina vel ecclesiastica præsumperit impendere sacramenta, se noverit ipsius dignitatis & ordinis periculum incursum. Cū enim ex hoc quāramus soliditatem salutem Regis ipsius, & amplius eum quām ipse se diligit diligamus, utope quem nos in Domino diligimus ad salutem, ipse se in anima suā perniciem diligit contra Deum, non timemus si quod pro veritate ac justitia contra nos scandalum oriatur: quoniam si Deus nobilis, quis contra nos? nec poterit adversus nos aliquorum machinatio prævalere, quia veritas & justitia nos defendent. Cū autem de prærogativa scientiæ ac honestatis vestræ non modicum confidamus, ne præter spem omnium eis comparari possitis, de quibus dicitur, *Canes muti non valentes latrare*, cū haec tenus libertas ecclesiastica maximè viguerit in regno Francorum, volumus & mandamus ut vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, & vos, filij Abbatibus, apud eundem Regem exhortationibus assiduis insistatis, quatenus affectionem nostrum attendens, qui licet salutem sollicitè quāramus ipsius, eum tamen molestamus inviti, eligat parere potius monitis nostris, immo divinis, quām severitatem ecclesiasticam experiri; cū si nec sic potuerit revocari, ne plaga remaneat incurata, severitatem ecclesiasticam proposuerimus distictiū exerceere. Tanto autem his exequendis soliditius intendatis, quanto apud multos fama vestra est non modicum aggravata quōd mediantibus quibusdam vestrum tantus sit perpetratus excessus. Quōd si ad tempus omissum sit haec tenus, non tamen est omnino dimissum quin possit & debeat adversus eos, si negligentes fuerint, retrorqueri.

*Scriptum est autem super hoc prædicto Cardinali apostolicæ sedis Legato.*

Nn n